

OPGAVE A
Version

2005-4-1

Marcus Tullius Cicero (106–43 f.Kr.) fortæller i sit værk *De Officiis* følgende anekdote om den velhavende romer Gaius Canius, der fik lyst til at eje en villa ved havet:

C. Canius Syracusas se contulit. Ibi volebat hortos emere, ubi se oblectare cum amicis posset. Tum Pythius quidam, qui Syracusis argentariam faciebat, ad Canium adiit. “Venales”, inquit, “hortos non habeo. Sed tibi licet hortis meis sicut tuis uti.” Simul ad
5 cenam Canium in hortos invitavit in posterum diem.

Deinde Pythius, qui esset ut argentarius apud omnes ordines gratosus, piscatores ad se convocavit et ab iis petivit, ut ante suos hortos postridie piscarentur, dixitque, quid eos facere vellet.

Ad cenam tempore venit Canius. Multitudinem cymbarum
10 vidit. Piscatores pisces, quos ceperant, ante pedes Pythii dejiciebant. Tum Canius “Quaeso”, inquit, “Pythi? Unde tot pisces, tot cymbae?” Et ille “Quid mirum?” inquit, “Quidquid est piscium Syracusis, est hoc loco.”

Canius cupiditate incensus contendit a Pythio, ut hortos
15 venderet. Recusavit ille primo. Tandem emit Canius tanto pretio, quantum Pythius poposcit.

Invitat Canius postridie familiares suos; venit ipse mature; nullis cymbis visis vicinum interrogat, num feriae piscatorum essent. “Nullae, quod sciam”, inquit ille, “sed hic piscari nulli
20 solent. Itaque heri mirabar, quid accidisset.”

Stomachatur Canius. Sed quid faceret?

Cicero, *De Officiis* III 58-60